

nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri: (Act. 4. 12.) tum quia necesse fuit ut legis naturalis cognitionem, quam variæ hominum cupiditates maximâ ex parte obscuraverant, Deus per externam revelationem manifestaret. Hinc clarissimum illud Cleri Gallicani testimonium in celeberrimis anni 1700 comitiis: *L'Eglise Catholique a toujours été persuadée que la Religion Chrétienne consiste dans la foi et les mœurs; que les dogmes qui fixent la foi, et ceux qui reglent les mœurs, ont la même source, et que les préceptes qui nous apprennent à bien vivre, appartiennent à la foi.* Ibi sapientissimi Præsules, nullâ factâ religionis naturalis mentione, unicam admittunt Religionem, nempe Christianam, quam in moribus et fida ita sitam esse dicunt, ut et ipsæ morum regulæ ad fidem et revelationem pertineant.

Iis præmissis, hæc erit instituti nostri ratio: 1°. de necessitate cultûs Dei, tum interni, tum externi; 2°. de Revelatione; 3°. de Religione Judaicâ; 4°. de Religione Christianâ dicturi sumus.



DISSERTATIO I.

De necessitate Cultûs divini, tum interni, tum externi.

DISTÆ quidam, ut jam monuimus, Deum sibi impiè fingentes, cui res humanæ nullo modo curæ sint, eum contendunt nullum ab hominibus cultum exigere, sive interiorem, sive exterierem.

PROPOSITIO I.

Deo cultus internus debetur.

Probatur 1°. Deo cultus ille debetur, quem ipsi vindicat ratio naturalis: atqui Deo cultum internum asserit ratio naturalis: hic enim situs est in amore, adoratione, reverentiâ, obedientiâ, et grati animi sensibus: atqui hujusmodi officia erga Deum imperat ratio naturalis: quisquis enim eam vel leviter consuluerit, is facillè deprehendet se teneri eum super omnia diligere, qui in supremo gradu est amabilis, omnesque perfectiones in se complectitur; eum adorare, cujus suprema est majestas; eum revereri, cujus potentia nullis circumscribitur limitibus; eum colere obedientiâ, qui summum in omnes creaturas habet dominium; eum denique grato animo prosequi, ex cujus liberalitate et munificentia accepit quidquid habet: atqui Deus his omnibus titulis gaudet; ergo ratio naturalis, amoris, adorationis, reverentiæ, obedientiæ gratique animi sensus et officia erga Deum præscribit: ergo, etc.

Prob. 2°. Nulla unquam extitit gens adeò rudis, fera et barbara, quæ Deum quem agnoscebat non coleret: *Sua*, inquit Tullius, *cuique civitati religio est; Deum quippe natura venerari novit; nec quisquam est homo, qui lege quæ hoc præcipiat, careat: (Oratione pro Flacco.)* atqui unanimis ille populorum consensus circa cultûs divini necessitatem, naturæ vox est concordissima: vel enim ex ipsis naturæ quasi visceribus manavit, vel à cupiditatibus aut præjudiciis: atqui duo posteriora dici nequeunt: 1°. quidem illud suam à cupiditatibus non traxit originem, quod illis, nedùm faveat, plurimum adversatur: atqui consensus populorum circa cultûs divini necessitatem, etc. siquidem, eâ semel admissâ, reprimendæ sunt et coercendæ cupiditates. Idcirco quotquot extiterunt

imperatorum legumque conditores sapientissimi, primum omnium censuerunt in civium animis fovendum et nutriendum esse innatum religionis sensum, rati scilicet nullum esse potentius et efficacius frænum ad comprimendam malè agendi libidinem, hominesque suis in officiis continendos. 2º. Generalis illa populorum persuasio non est præjudiciorum fœtus: præjudicia enim nec universalialia nec perpetua sunt, maximè verò quando sunt cupiditatibus inimica: atqui populorum de cultûs divini necessitate persuasio omnium est locorum, omniumque temporum, ut testis est ipse Tullius; ergo, etc.

Solvuntur objecta.

Objicies 1º. Deus nullum ab homine cultum internum exigit; ergo nulla est hujus admittendi necessitas.

Respondeo: Neg. ant. Deus enim non potest non exigere, quod jubet summus et immutabilis ordo; alioqui voluntas divina non esset perfectissima: atqui præcipit summus et immutabilis ordo, ut internum Deo cultum rependamus. Cum enim omnium sit causa et principium, jubet immutabilis ordo in eo solo constituendum esse omnium finem ultimum: atqui non potest Deus esse finis noster ultimus, quin ad eum nos nostraque omnia referamus ex amore, in quo præsertim situs est cultus internus.

Instabis 1º. Deus exigere non potest cultum se ipso indignum: atqui humanus quilibet cultus, utpotè finitus, Deo indignus est; ergo, etc.

Resp. 1º. Retorqueo argumentum: Deus non potest exigere actum se ipso indignum: atqui actus quilibet humanus, quantumvis bonus, legique æternæ consentaneus, qualis est amor Dei, finitus est, ex omnique parte limitatus; ergo Deus non potest illum exigere, ac proinde circa bonum vel

malum morale planè est indifferens; quo quidem nihil absurdius fingi potest.

Resp. 2º. Neg. min. Illud enim non est Deo indignum, quo sublato, violaretur æternus et immutabilis ordo, quem Deus necessario diligit: atqui, sublato interno Dei cultu, quamvis finito, læderetur æternus, etc. Quid enim inordinatum magis fingi potest, quàm creatura rationalis, quæ nullos amoris, adorationis, memoris animi sensus rependit Creatori, cujus tanta est perfectio, tanta majestas, tanta munificentia? ergo, etc.

Inst. 2º. Illud non exigit Deus quo non indiget: atqui cultu humano non indiget, cum sibi solus sufficiat; ergo, etc.

Resp. Neg. maj. Quemadmodum enim Deus mundum condidit, quamvis eo non indigeret, nec quidquam utilitatis in eum derivaretur; ita pariter potest cultum ab homine exigere, licet inde suæ felicitati nova non fiat accessio: quinimò non potuit Deus hanc legem homini non imponere; alioquin contra summam rationem supremumque ordinem peccasset, ut patet ex dictis.

Obj. 2º. Cultus internus in summa Dei majestate supremoque illius in creaturas dominio fundatur: atqui inde colligi non potest cultûs interni necessitas: ille enim in amore potissimum consistit: divina autem majestas summumque illius dominium non alios possunt in animis nostris sensus excitare, quàm timoris et terroris; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Cultus internus, etc. simul et in aliis Dei attributis, conc. maj.: secus, neg. maj.

Itaque Deus, quantumvis creaturis omnibus superior, summusque earum Dominus, non solà mundum regit potentiâ, sed etiam infinitâ suâ sapientiâ et bonitate. Creaturæ igitur debent varios sensus induere variis accommodatos perfectionibus, quæ in operibus Dei mundique regimine mirum in modum elucet; id est, sensum adorationis,

propter illius majestatem; sensum timoris, propter illius potentiam; sensum fidei, propter illius *veracitatem*; sensum obedientiæ, propter summum illius dominium; denique sensum memoris grati- que animi, propter ipsius benignitatem beneficia- que ab eo accepta. *Quem astrorum ordines*, ait Cicero, *quem dierum noctiumque vicissitudines, quem mensium temperatio, quemque ea que nobis gignuntur ad fruendum, non gratum esse cogunt, hunc hominem omninò numerare qui decet!* (Lib. 2. de Legibus.)

PROPOSITIO II.

Præter Cultum internum necessarius est Cultus exterior.

Probatur. Cultus externus ille est, qui corporis ministerio exercetur, quo suos erga Deum pietatis et religionis sensus homo manifestat et profitetur: atqui hujusmodi cultus necessarius est; tum quia non potest ex cultu interno non prodire; tum quia iisdem nititur fundamentis; tum quia eum exigit nostra utilitas et amor proximi.

1°. Quidem cultus externus ab interiori sejungi nequit: cultus quippe internus in amore præsertim situs est: atqui ita à natura comparati sunt homines, ut non possint aliquem verè diligere, quin amor ille in signa quædam externa prosiliat; à laudibus, donis, aliisque testimoniis sese temperare non potest. Impossibile igitur est, ut Deum sincero vehementique affectu diligamus, quin amor ille in externas ipsius laudes erumpat, quin vividæ divinæ caritatis sensus nonnullis signis exterioribus exprimantur; ergo 1°. cultus Dei externus ab interno non potest non prodire.

2°. Cultus externus iisdem, ac internus, fundamentis nititur: cure enim Deo cultus interior debetur? Nonne quia animam nostram creavit, eamque plurimis ornavit facultatibus, quas sine ingrati animi vitio non possumus in ipsius gloriam non

impendere? Atqui eadem illæ rationes cultus externi necessitatem pariter adstruunt: non animæ enim tantum, sed etiam corporis nostri creator est Deus; utriusque ergo famulatum ei debemus, à quo utrumque accepimus. Necesse est proinde, ut corpus quoddam Deo tributum pro suo modulo persolvat, ut mentis adorationi respondeat prostrati corporis adoratio; ut dum gratus memorque animus beneficia à Deo accepta recolit, in ejusdem officii societatem corpus veniat, sui creatoris laudes celebrando: atqui hæc fieri non possunt sine quodam divinitatis cultu externo; ergo 2°. etc.

3°. Eundem hunc cultum exigit nostra utilitas: enimverò nihil utilius nobis esse potest, quàm ut nostram in Deum pietatem augeamus et confirmemus: atqui ad eam augendam, excitandam et corroborandam plurimum confert cultus externus: tanta quippè est hominis infirmitas, ita pendet à sensibus, ut externis quibusdam ceremoniis et signis, velut totidem incitamentis, indigeat, quæ pios erga Deum affectus suscitent et foveant; alioqui sensim languescerent et extinguerentur: ergo 3°. etc.

4°. Cultum Dei externum postulat amor proximi: qui enim ipsi debetur amor, exigit ut eum adjuvemus, maximè verò in iis quæ ad salutem pertinent, qualis est sincera erga Deum pietas. Ad eam igitur alios, tum sermonibus, tum exemplis nostris excitemus necesse est: atqui tali munere sine cultu externo fungi non possumus; ergo 4°. etc.

Denique orbis universus supremi Numinis majestatem annuntiat, ut exposuimus in Pneumatologia: terra cælumque suo modo gloriam Dei enarrant. Numquid homo ratione præditus, tot beneficiis à Deo cumulatus, solus in rerum natura sui autoris laudes celebrare, reverentiam ipsi debitam exhibere, et supremum ejus dominium exterius profiteri abnueret?

Solvuntur objecta.

Objicies 1°. Deus cor intuetur; ergo nullam cultus externi rationem habet.

Resp. Dist. conseq. Deus nullam habet cultus externi rationem, si ab interno sejungatur, conc. secus, neg.

Homines quidem, cum internos animi affectus perspicere nequeant, externam honoris et dilectionis significatione contentos esse oportet; Deus vero qui corda et renes scrutatur, cultum exterioriorem respuit, nisi ab interno animi cultu et affectu prodeat: isto quippe sublato, jam nihil superest præter vanum et inane Religionis simulacrum: plus enim Deo placet mens sceleris pura, quam magnificus rituum et ceremoniarum apparatus: hinc Deus populum suum sic arguit apud Isaiam. *Populus iste... labiis suis glorificat me; cor autem ejus longè est à me. (Isa. 29. 13.)*

Inst. Deus eos tantum approbat cultores, qui illum in spiritu et veritate adorant; ergo rejiciendus est cultus externus.

Resp. Neg. conseq. Ex eo quod enim Deus in spiritu et veritate, id est, sinceris animi affectibus adorari velit, perperam colligitur rejiciendum esse cultum externum: quinimò eum retinendum esse longè rectius concluditur: adorationem enim in spiritu et veritate, quam jubet Deus, id est, intimos religionis sensus, fovet, nutrit, suscitatur, vividiores et vegetiores efficit, tum in nobis, tum in aliis: naturæ quippè hominis infirmæ sensuum adminiculis opus est, ipsoque ceremoniarum et rituum apparatu pietas ejus excitatur.

Obj. 2°. Non opus est Deo, ut per actus externos ipsi interiores animæ nostræ sensus manifestemus; ergo nullus requiritur cultus externus.

Resp. Neg. conseq. Cultum enim externum non ideo requisitum esse dicimus, ut Deo innoscant interiores animi sensus; siquidem ipsi patent vel

reconditiores animæ recessus: sed alias ob causas adhibendus est cultus externus; ne scilicet elanguet cultus internus; ne apud homines torpescat religionis amor, nisi mutuis suscitetur exemplis; ne tandem dimidiatus sit divinitatis cultus; nisi facultates, etiam corporeas, ad Dei gloriam et laudem conferamus.

Obj. 3°. Homo ex rationis lumine illum Deo cultum non debet, quem non potest ex solâ ratione cognoscere: atqui homo ex solâ ratione cognoscere non potest, quisnam cultus exterior Deo debitus sit et acceptus; ergo, etc.

Dist. min. Id est, cognoscere non potest speciatim, quisnam cultus exterior Deo sit acceptus, conc. min. id est, non potest cognoscere aliquem generatim cultum exterioriorem Deo deberi, neg. min.

Fatemur quidem solo rationis lumine detegi non posse, quem cultum exterioriorem Deus elegerit: cum enim à libera Dei voluntate pendeat, non potest nobis innotescere, nisi per revelationem manifestetur: sed homo solâ ratione naturali ductus, potest cognoscere aliquem generatim cultum externum esse Deo exhibendum: ad explendum illud officium satis est, ut suam in Deum observantiam declaret per signa, quæ nihil indecori, nihilque supremo Numine indigni habeant; quæ signa varia apud varios populos esse possunt; alii stantes Deum orant, alii expansis manibus, alii genibus flexis; sed ita animo comparatus esse quisque debet, ut statim ac specialem aliquem cultum Deus jusserit, eum docilis amplectatur.

